

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

sonis publicis authentizata, in quibus perhibetur testimonium de miraculis, quæ per merita Beatæ Virginis in Sacello Einsidlensi Altissimus est dignatus operari, & in dies adhuc operatur. Quibus si Tigurum quoad primaviam præsertim miraculosam Sacelli Einsidlensis dedicationem, necdum habere fidem velit, cedat saltem Majorum suorum auctoritati; publicum enim in Archivio Einsidlensi extat instrumentum civitatum Tigurinæ ac Bernensis, atque reliquorum Cantonum sigillis de Anno 1465. munitum, quo clarè asseritur, Sacellum Einsidense ab ipsomet Deo seu Christo consecratum esse.

DISSERTATIO XXII.

An miracula per Divæ Virginis Einsidlensis meritum & intercessionem patrata trahantur in patrociniū doctrina falsa, repugnentque sacra Scripturæ?

- I. **C**alumniandi artis peritissimus Heideggerus §. 23. ita argumentatur.

tatur. Vera miracula servire debent doctrinæ cœlesti in Verbo Divino revelatæ, uti scriptura docet *Deut. 17. v. 2. & 3.* & Patres passim inculcant, & adversarij ipsi non abnuunt. Atqui miracula ab illis jactata trahuntur in patrocinium doctrinæ falsæ, puta invocationis Sanctorum, & Mario-Latriæ. Vera igitur non sunt.

II. Reus es, Heideggere, duplicis adversus Helvetiam Catholicam convitij, dum & invocationem Sanctorum dicis doctrinam falsam, & Divæ Virgini Mariæ ais exhiberi Latriam. Tum quia invocationem Sanctorum à sanctis (ipsis etiam Reformatis, ut ajunt, Doctoribus testibus) Patribus primorum quinque sæculorum traditam, & adversus hæreticos defensam fuisse, patet ex *Dissert. 5. §. 2. & Dissert. 12. n. 2.* Imò in sacris quoque litteris esse fundatam, probatur *cit. Dissert. 12. n. 3. ac seq.* Atqui in Patribus primorum quinque sæculorum viguisse sinceram, veram, inviolatamque

que fidei doctrinam, testantur reformati Doctores *cit. Dissert. 6. n. 2. allegati.* Non possunt igitur reformati Doctores doctrinam de invocatione Sanctorum falsitatis arguere, nisi manifestam contradictionem committendo, se ipsos aperta falsitatis coarguant. Tum quia distinctionem cultus Patriæ ac Dulix antiquis Patribus fuisse in usu, nolens volens testari cogitur Calvinus *Instit. lib. 1. cap. 12. sect. 2.* At Catholica Helvetia profitetur, se Divæ Mariæ Virgini in Sacello Einsidensi exhibere cultum duntaxat Dulix, seu Hyperdulix, non verò Patriæ, prout in præcedentibus expositum est. Talem verò Hyperdulix cultum se tenentem in implorandâ Sanctissimæ Deiparæ intercessione esse à Patribus (secundum ipsos reformatos Doctores non nisi veram in sacris litteris fundatam fidei doctrinam tenentibus) probatum, testantur ipsimet reformati Doctores, nominatim Zwinglius *Epich. De Can. Missæ. Beza advers. 3.*

part. Brent. in fine. & Molinaus cap. 24. de invocatione Sanctorum. Quare illa Heideggeri erga Catholicam Helvetiam calumnia in ipsum in tantum retorquetur, ut & suæ Ecclesiæ Doctorum contradictionibus confodiatur, & à Sancto Augustino lib. 73. De Eccles. Dogmat. arguatur non esse Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus.

III. Instat ille Tigurinus Professor: Scriptura, inquit, signa ea, quæ posterioribus temporibus jactabunt homines, non alijs tribuit, quam Anthi Christo, & Pseudo-Prophetis. *Matth. 24. v. 24. 2. Thessal. 2. v. 9. Apocal. 13. v. 13. 18. & 23.* Cedite Pontificij, ullam prophetiam, quæ veræ Ecclesiæ post semel confirmatum Christianismum miracula tribuat.

IV. Velim Heideggere, ut præallegatos sacrae scripturae textus bene expendas. Nam etiam *Matth. 24. v. 24.* dicitur, *Pseudo-Christos, & Pseudo-Prophetas duros signa magna & prodigia, ut in errorem inducant.*

cant. Et 2. Thessal. 2. habetur de Anti-Christo, quod ejus adventus sit secundum operationem sahana in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. Et Apocal. 13. v. 13. ubi propheticè dictum fuisset de Anti-Christo, fecisse signa magna, ut viam ignem faceret de caelo descenderre, &c. mox subjungitur: Et seduxit habitantes in terrâ propter signa. Ex quibus aded patet, signa & prodigia Pseudo-Christorum, & Anti-Christorum esse in finem seductionis ac deceptionis; nec aded esse à Deo, sed à diabolo: & consequenter non esse vera miracula, sed tales operationes prodigiosas, quales sunt in virtute demonis median-
 tibus causis naturalibus, applicando activa passivis, potentis operari effectus extraordinarios, in ipsis tamen causarum naturalium viribus contentos, nec aded verè ac strictè loquendo miraculosos, utpote de quorum ratione sit, ut excedant totius naturæ creatæ virtutem, soliusque Divinæ Omnipotentiae tanquam

B. J
 p. 10
 900
 16

Causæ principalis sint effectus. Et hinc neque Lutherus habens diabolum, velut ipsemet *lib. de Missâ Angul.* testatus est, sibi familiarem, neq; Calvinus genium malum, uti de se scripsit *Epist. ad Buzerum.* sibi assistentem habens, potuit facere miracula, quanquam hic teste Bolseco *in vitâ Calvini cap. 13.* ille verò teste Cochlæo *in Actis Lutheri An. 1523.* conatus fuerit vel facere, vel simulare miraculum. At verò intra Sacellum Einsidlense foveri veram à veteribus, ipsorum reformatorum Doctorum testimonio, illibatam fidei doctrinam tradentibus sanctis Patribus probatam fidei doctrinam, probatum est supra *Dissert. 8.* Insuper ex illo Divino Sacello per sanctissimæ Deiparæ merita & intercessionē in virtute Christi ac Dei fieri effectus solius potentiae Divinae proprios, mortuorum scilicet resuscitationes, illuminationes cæcorum, ejectiones dæmonum, probatur legitimis à P. Paulo Betschart *in Divâ Thaumaturgâ Einsidlensi*, & P. Conrado Hunger

ger in suo Chronico Einsidlensi par. 3. allatis
 testimonijs, narrantquè publicæ Sum-
 morum Pontificum, aliorumquè Præla-
 torum litteræ. Hæc igitur miracula nul-
 latenus Anti-Christo & Pseudo-Christis,
 sed ipsimet Christo Domino ac Deo at-
 tribuenda, & ab ipsomet Heideggero ta-
 liter recipienda forent, ut, quemadmo-
 dum sanctus Augustinus lib. de Utilit. cre-
 dend. cap. 17. & lib. contra Epist. fundamenti
 cap. 4. dixit: *Se teneri in Ecclesiâ vinculis mira-
 culorum*, sic & quondam oportuisset Ti-
 gurinos miraculis in Sacello Einsidlensi
 patris, in illâ, intra quam fuerunt, Ec-
 clesiâ teneri, & hodie oporteret ad ean-
 dem reverti.

DISSERTATIO XXIII.

*An possit certa verorum à falsis discer-
 nendorum miraculorum tradi regula?*

Heideggere incit. S. 21. exigis à no-
 bis Catholicis certam verorum
 miraculorum regulam. Ego econtra
 priusquam tibi respondeam, quero ex

I 3 te,